

034

032

038

028

043

023

083

133

Ende

Anfang

19

Legitur in Chronicis, quod **B.** Cletus, Petri successor construxerit Romae B. Petro ecclesiam, et omnibus fidelibus scripsit, invitans eos ad visitationem sepulchri S. Petri, dicens: Quod hujusmodi peregrinatio praevalet jejunio duorum annorum, et sub gravi anathemate excommunicationis dissuadentes et impedientes hujusmodi peregrinationem [prohibens]. Si peregrinatio ad sanctorum apostolorum limina tantum valet, quantum valeat peregrinatio ad limina Christi, et ad ejus suaeque matris sepulchra pensare faciliter potest fidelis. Et si dissuadentes romanam visitationem sic excommunicantur, qualiter anathemizentur retrahentes a visitatione Hierosolymitana? Videant, qui inter hoc agunt; Cum illae duae civitates, Ierosolyma et Roma, tantum distent in dignitate, et sanctitate, quantum Christus super apostolos (est.)

COMMENDATIO TERRAE SANCTAE.

et Peregrinationis eius praconizatio.

MULTIPLEX vox sacrae Scripturae terram sanctam nobis declamat, eam esse commendabilem prae omnibus mundi terris, nominans eam terram sanctam, a Deo benedictam; a Deo singulariter creatam, et fundatam; a Deo respectam; optimam; valde bonam; egregiam; desiderabilem; Deo chariore omnibus; electam; excelsam, et hujusmodi multa, (B) quibus eam sacra scriptura commendat. Ut Deuteron. C. 8. et 11. laudatur. Et merito. Est enim terra illa sanctitate foecundissima, exemplis virtutum fortissima, nobilitate dignissima, situ sanissima, aere temperatissima, gleba subtilissima, comparatione ad alias terras altissima, montibus excelsa, ad bellandum munitissima, significacionibus et figuris aptissima, bonis hujus vitae sufficientissima, propter eam olim inhabitantes dignissima, propter facta in ea mirabilissima, propter sanctos in ea natos spectabilissima, et propter mysteria undiquaque ex ea fulgentia clarissima, cultu divino praecipua, templis et ecclesiis singularissima, medietate sua virtuosissima, aerumnosis et vitiosis durissima, virtuosis

2 *